



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap. I. Confitetur Deo miserationes ejus, non ut doceat, sed ut laudet eum, quem laudat omnis creatura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

LIBER V.

Proloquitur annum unde - tricesimum ætatis suæ , quo Carthagine Rhetoricam docens , cognita imperitia Fausti celeberrimi Manichæorum Episcopi , ab iis alienari cœpit. Tum Romæ gravi morbo defunctus , & in Rhetoricæ professione aliquantum moratus , ad eandem Mediolani suscipiendam abiit. Vbi S. Ambrosii humanitate , ac sermonibus , meliorem de Fide Catholica opinionem , sensim concepit.

CAP. I.

Confitetur Deo miserationes ejus, non ut doceat, sed ut laudet eum, quem laudat omnis creatura.

I.



Accipe sacrificium confessionum mearum, de manu linguæ meæ quam formasti & excitasti, ut *confiteatur nomini tuo*, & sana omnia ossa mea , & dicant: *Domine*

Psal. 137.
2.

Psal. 88. 1. *quis similis tibi?* Neque enim docet te, quid in se agatur, qui tibi confitetur: quia oculum tuum non excludit cor clausum, nec manum tuam repellit duritia hominum: sed
solvis

solvis eam, cum voles, *a* aut miserans aut vindicans, & non est, qui se abscondat à calore tuo. Sed te laudet anima mea, ut amet te: & confiteatur tibi miserationes tuas, ut laudet te. Non cessat nec tacet laudes tuas, universa creatura tua: *b* nec spiritus omnis hominis, per os conversum ad te: nec animalia, nec corporalia, *c* per os considerantium ea: ut exurgat in te à lassitudine anima nostra, in nitens eis, quæ fecisti, & transiens ad te, qui fecisti hæc mirabiliter; & ibi refectio, & vera fortitudo.

Psal. 18. 7.

N O T Æ.

- a* Aut miserans, aut vindicans) miserans emolliendo ad pœnitentiam, aut vindicans magis indurando subtractione auxilii interni; & puniendo impœnitentiam, pœnis hujus & alterius vitæ.
- b* Nec spiritus omnis hominis) iusti, intellige; impii enim non laudant Deum, sed blasphemant.
- c* Per os considerantium ea) Angeli & homines proprie laudant Deum, animalia vero aliæque creaturæ eundem laudant non ore suo, sed alieno: excitando repræsentatione divinarum perfectionum mentem ad laudandum suum conditorem. Quo sensu dixit David: *Celi enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Laudant itaque Angeli & homines Deum formaliter, aliæ creaturæ objective, ut loquuntur in Scholis.

Psal. 18. 1.

V S V S.

Salubrem pro confessione hoc caput suggerit meditationem; tum ut integre fiat, cum Deum, cujus vices gerit Sacerdos, nihil lateat; tum ut excitemus nos ad creatorem nostrum laudandum seria emendatione: nec toties laudes totius universi, peccatis nostris interrumpamus.

C A P.